



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Tormenta inferorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ertâ; cui dextra manus quasi penitus exanimata & arida, altera verò infar columnæ crassecebat, nuda & in longum protensa, quâ noxiosprehendens, in chaos illud devolvebat. Nec est quidquam, quod possit pingi aut fingi tam horridum aspectu, terrificum, truculentum, quin tetrior, horridior, terribilior, truculentior, monstrosior sit aspectus cadæmonum. Hæc ille. Unde apparet, haudquaquam tanquam inania & frivola explodenda hæc & alia Poëtarum commenta, per varias & terribiles formas objicientium orcinos spiritus. Nam si has tollas fabulas, quidni historiarum quoque fidem abroges, illas inferorum larvas diversimodè repræsentantium? Et Plutonem, seu diabolorum principem cum sceptro, in folio, inter adstantes tartari proceres apparuisse, quis non legit? Oportet enim erudire sensus, ut instruat intellexit. Id, quod hoc in loco monere volumus, & pluribus in aliis revocari in mentem cupimus. De informibus Acherontis formis recurret occasio memorandi in Symbolo 100. ubi de Satyris.

III. (c) Plutonis nutum tota inferorum regio contremiscit. Tanta sunt vires dæmonum, ut si Deus permetteret, elementa naturali robore concuterent, fulmina jacerent, grandine, aquarum inundatione, terræ motibus horrendum in modum lævirent, terramque celo miscerent.

Et quia novem sunt potissimum carceris tartarei supplicia, omnia videntur à Poëtis adumbrata. *Primo* enim densissimæ tenebræ involvunt inferos. Quod innuit Maro 4. Georg. dum vocat

Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

Altera sceleratorum apud inferos pœna, est, *Fletus & stridor dentium*. Hæc est Plutonis Musica. Hinc Tartarus dicitur à *ταρταρῷ* conturbo; quia illic lamentis omnia & luctibus perturbantur. Vel *ἀπὸ τοῦ τρυγίσειν*, id est, à tremore frigoris. Hinc Iatratus tricipitis aut etiam centicipitis, ut Horatius canit, *Cerberi*, inferorum auribus, perdius, pernox tot gutturum Iatratus insonans. Hinc lugubres amnes Acheron, Styx, Cocytus, non tam undas, quàm lacrimas vehentes.

Tertia, Fames & Sitis. Hoc in Tantalo docuere Poëta, de quo, Symbol. 52,

Quarta, Fœtor intolerabilis, è tot vivorum cadaverum acervo; è sulphuris & picis oceano; ex tot damnatorum & diabolorum consortio. Quam ob causam locus inferorum *Avernus* dicitur, quasi *ἀβυσσος*, hoc est, *avibus carens*; Sive quòd aves supervolantes gravi eius odore enecentur: sive quòd sulphureæ exhalationes aërem usque adeò extequent, ut aves sustinere non possit. De hoc Virgil. 6. *Æneid.*

(c) *Tormenta inferorum.*

Spelunca

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
 Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.
 Quam super haud ulla poterant impunè volantes
 Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
 Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
 Unde locum Graii dixerunt nomine *Avernum*.

Quinta, *Ignis* horribilissimus, in ipsas etiam animas grassans. Quid enim aliud est inferorum *Pblegethon*, flammis sempiternis exastuans?

Sexta, *Vermis* conscientiae semper rodens, semper crucians. Hanc carnificinam expresserunt per vulturem Tityi, jecur eius diu, noctuque depascentem, de quo Symbol. 79.

Septima, Locus & societas execrabilis, unde infernale barathrum appellatur *Erebus*, Latine *tenebra*, *caligo*, *nox*. Quales in eo incolae? Describit Cicero de nat. deor. Amor, inquit, (scilicet impurus) Dolus, Metus, Senectus, Labor, Invidentia, Fatum, Mors, Miseriae, Querela, Fraus, Pertinacia, Somnia, o quam luctuosa! Haec ethnicus, & ethicus.

Ostava, *Desperatio*, momentis singulis sceleratos jugulans. Hoc agunt Furiae, scelerum ultrices gravissimae, quae nullam quietis partem concedunt impiis Manibus, quibus perpetuo intentant angues, insultant facibus, & ingesta criminum patratorem memoriâ, in continuam desperationem excruciant.

Nona est *Aeternitas*, inexplicabilis, immensa, incomprehensa. Atque ut circulus principio, fineque carens, est Symbolum interminabilis aevi; ita fluvii infernales, damnatorum carcerem in orbem ambientes, spem omnem evadendi pracludunt. Nec satis est ambitu simplici circumdari lamentabilem orcum; sed miseris, Poeta canente 6. *Aeneid*.

Fata obstant, tristisque palus innabilis unda
 Alligat, & novies Styx interfusa coercet.

Explicatur hoc idem per Sisyphi semper revolubile saxum; per Danaïdum pertusum & nunquam explebile dolium, haec aeternitas cruciat Laphidas, Ixiona, Pirithoûmque,

Quos super alta silex, jam jam lapsura, cadenti
 Imminet assimilis.

IV. (d) Idem Pluto, qui rex inferorum est. Divitiarum quoque deus habetur; & tunc *Plutus* vocatur. Hunc Poetae fingunt esse *Claudum*, *Alatum*, *Cacum*. Nam in adventu claudicat, dum lente accedunt opes. Sudandum est, algendum est, eurrendum est per terras & undas,

E e e e 2

donec

(d) *Plutus divitiarum deus, & eius cornibus.*